

Quod si accidat:<sup>31</sup> [353] *Nothum ac spurium et non sacrum ponemus eum puerum civitati. Quibus sane legibus prohibet ea omnia, quae Aristoteles ait:<sup>32</sup> Patri erga filium omnium esse indecentissimum et fratri erga fratrem.*

- 5      Neque verum est, quod addit:<sup>33</sup> *Coitionem abstulisse ob aliam causam nullam, nisi quia vehemens nimium esset voluptas.* Nam ob indecentiam id vetuit, uti modo vidimus. Neque etiam verum est:<sup>34</sup> *Quod sit pater quidem vel filius vel fratres ad invicem, nihil putasse interesse.* Imo maximi putavit interesse, quando prohibens ait Plato:<sup>35</sup> *Praeter quam filiae et matri et filiarum filiabus et quae superiores matri sunt et mulieres rursus; praeter quam filio et patri et iis qui his sunt et supra et infra.* Qui autem hi sint et quomodo dignoscantur, statim declarat. Falso erga ei Aristoteles attribuit Platonem id nihil interesse putasse.
- 10     15     Quod autem ait, magis utile esse agricolis uxores et filios facere communes quam pugnatoribus<sup>ix</sup>, quia minus sese amabunt, quod habere oporteat subiectos ad obedientiam et non novis rebus studere falsum est praesuppositum, quod minor sit amor inter communes istos, quem amorem putat ipse quoque maximum bonum esse civitatibus.<sup>36</sup> *Amicitiam namque putamus maximum bonorum esse civitatibus; ita enim minime seditiones agitabimus.*

<sup>31</sup> νόθον {γάρ} καὶ ἀνέγγυον καὶ ἀνίερον φήσομεν [θήσομεν] αὐτὸν παῖδα τῇ πόλει καθιστάναι. [PLATO, R. 461.b.6 – 7]

<sup>32</sup> πατρὶ πρὸς νίον εἶναι πάντων {ἐστὶν} ἀπρεπέστατον καὶ ἀδελφῷ πρὸς ἀδελφόν. [ARIST. Pol. 1262a.35 – 36]

<sup>33</sup> τὴν συνουσίαν ἀφελεῖν δι' ἄλλην μὲν αἰτίαν μηδεμίαν, ὡς λίαν δὲ ἴσχυρὰς τῆς ἡδονῆς γινομένης. [ARIST. Pol. 1262a.37 – 39]

<sup>34</sup> ὅτι {δ'} οἱ μὲν πατήρ ἢ νίος, οἱ δ' ἀδελφοὶ ἄλλήλων, μηδὲν οἰεσθαι διαφέρειν. [ARIST. Pol. 1262a.39 – 40]

<sup>35</sup> πλὴν θυγατρὶ καὶ μητρὶ καὶ ταῖς τῶν θυγατέρων παισὶ καὶ ταῖς ἄνω μητρός, καὶ γυναικας αὖ πλὴν ύει καὶ πατρὶ καὶ τοῖς τούτων εἰς τὸ κάτω καὶ ἐπὶ τὸ ἄνω. [PLATO, R. 461.c.1 – 4]

<sup>36</sup> φιλίαν τε γάρ οἰόμεθα μέγιστον εἶναι τῶν ἀγαθῶν ταῖς πόλεσιν (οὕτως γάρ ἀν ἥκιστα στασιάζοιεν [στασιάζομεν]). [ARIST. Pol. 1262b.7 – 9]

<sup>ix</sup> Usp. ARIST. Pol. 1262a.40 – b.4.